

CONSTITVTIONES DIOECESANAE SYNODI

ILLVSTRISS^mi^ ET REVEREN^mi^

D. D. MARCI LA CAVA

EPISCOPI MAZARIENSIS.



PANORMI,


Apud Io. Antonium de Franciscis, Impressorem Cameralem. MDCX.

SVPERIORVM PERMISSV.



DON MARCVS LA CAVA

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS MAZARIENSIS VNIVERSO CLERO S. IN D.



X Multis, Dilectißimi Fratres, quæ à Sanctis Patribus, non humano, sed diuino consilio, propter Ecclesiasticas causas, & controuersias dissoluendas, pro moderandis moribus, & excesßibus corrigendis inuenta sunt, illud in primis memoria dignißimum admirari non satis possumus, quòd præter œcumenica, & generalia totius reipublicæ Christianæ Concilia, Prouintiales etiam, & Diœcesanas Synodos pro particularium Ecclesiarum vtilitate omnibus palàm seruandas proponerent; sic enim multorum Conciliorum testimonijs, quorum decreta adhuc extant, comprobatum esse non ignoramus. Cùm igitur hoc ita sit, Nos ab impresßis maiorum nostrorum vestigijs non recedentes, quod iam tempus ad-

monet, nunc primum, adiuuante Domino, in lucem proferimus, Deum ipsum precantes, vt quæ ex officij debito pro diuini nominis gloria suo gregi nobis credito facienda præcipimus, ipse, qui voluntatum præparator est, auxilio gratiæ suæ liberaliter adiuuare dignetur. Vos igitur, Consacerdotes, quibus animarum cura commissa est, monemus, hortamur, & pro pastoralis offitij diligentia iubemus, vt has Constitutiones præ manibus habeatis; quæque in ijs præcipiuntur, diligenter seruetis, quæ verò ad eos, qui vestræ curæ sunt, pertinent, seruanda curetis. Valete. Dat. Mazariæ 4. Mensis Octobris 1609.



CON-

CONSTITVTIONES DIOECAESANAE SYNODI

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D. MARCI LA CAVA EPISCOPI MAZARIENSIS.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS Don Marcus la Caua Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia Epiſcopus Mazarienſis; & Catholicę Maieſtatis Regius Conſiliarius, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, hæc pro morum reformatione cum conſilio Reuerendorum Vicarij noſtri Generalis, Dignitatum, & Capituli noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, nec non Archipreſbyterorum, & omnium Curatorum, in hac Synodo Diœcæſanæ decernimus, ſtatuimus, & ſancimus.

De Doctrina Chriſtiana. Cap. 1.

IN Diœcæſi noſtra dolenter accepimus, pleroſque viros; ac Mulieres Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolicum, & diuina præcepta, pœni-

tus ignorare; Propterea nos ſubditorum ſaluti conſulere cupientes, huic tanto malo remedium opportunum duximus adhibendum; Præſenti igitur hac noſtra conſtitutione ſancimus, ac omnibus vtriuſq; ſexus fidelibus, diſcretionis vſum habentibus, cuiuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis exiſtant, præcipimus, vt præmiſſa, quæ homini Chriſtiano ignorare non licet, ſtatim initio confeſsionis aperiant, niſi aliud confeſſariorum iuditio videatur, quibus quidem, etiam regularibus, ordinamus, ne eadem ignorantibus, præterquàm in articulo mortis, beneficium abſolutionis impendant, alioquin per menſem ipſo facto facultatis peccata audiendi ſuſpenſionem incurrant. Verùm horum temporum calamitatis rationem habentes, eiſdem imperitis, vt deinceps per totam Quadrageſimam anni præſentis hæc Chriſtianæ fidei rudiméta ediſcere valeant, concedimus, quæ vt facilius conſequi poſsint, expreſsè mandamus, vt in Ciuitatibus, & oppidis Diœcæſis noſtræ tres, vel quatuor Sacerdotes, vita, & moribus approbatos in totidem Eccleſijs ab Archipresbyteris eligantur, qui in Dei honorem, & cultum diebus ſaltem Dominicis tùm paruulis, tùm adultis hæc ibi ſalutis monita explanent, eosq. in lege Domini erudire ſtudeant.

Pius V. in Bulla, quæ incipit, ex debito.

Cap. II.

VT Pueri bonis moribus diligenter instructi à vitijs, alijsq. per multis erroribus retrahantur, vniuersos parentes, consanguineos, tutores, quorum interest, per hæc scripta monemus, vt in Ecclesijs, in Diœcæsi nostra ad hoc deputatis, filios, & vtriusque sexus infantes ad audiendam Doctrinam Christianã, à Summis Pontificibus gratijs, & indulgentijs summoperè commendatam, conuenire procurent; secus eorum conscientias grauiter oneratas; ac Deum, & Superiores suos vltores habebũt, quos tandem prò modo culpæ sacramentali absolutione priuabimus.

De pœnitentiæ Sacramento. Cap. I.

QVò dignius, & maiori cùm reuerentia Pœnitentiæ Sacramentum administretur, quod hostis humani generis totis semper viribus oppugnare conatur, quibuscunque confessarijs tàm sæcularibus, quàm regularibus sub pœna suspensionis ipso facto audiendi confessiones, edicimus, ne sine causa ægrotationis extrà ecclesiam, & oratorium, siue Confessionale, mulierum confessiones intelligant, neve ante Solis Ortum, vel post eius Occasum; curentque, vt sint stola, & superpelliceo induti; caueãt maximè, ne hac occasione aliquid à pœnitenti-

bus petant, sibiq. pro pænitentijs iniunctis adscribant, vt simoniæ Labem, & auaritiæ suspicionem effugiant, quæ ab Ecclesiastico ordine est pœnitus abhorrenda.

Cap. II.

Conc.Trident. Sess. 13. c.7.

AD eorum criminum, quæ infrà adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, ne confessarij ab ijs quemquam sine facultate nostra, vel priuilegio, præterquàm in articulo mortis, absoluant.

1 Carnalis copula sponsorum, antequàm coram Parocho, & testibus matrimonio cõiungãtur.
2 Incestus cum consanguinea, vel affine.
3 Sodomia viri cum viro, & fęminæ cum fęmina intra vas.
4 Actus bestialis cum Bruto.
5 Peccatum eorum, qui domos ad ludendum exponunt.
6 Blasphemia publica.

Cap. III.

Conc.Trident. Sess. 14. c.5. de confess.

SAepius nobis innotuit, quòd peccata cordis occulta frequenter à pænitentibus ex ignorantia in confessione omittuntur, ne igitur Sacramentum integritate, & fructu fraudetur, vniuersis Confessarijs, etiam regularibus sub diuini Iuditij pęna cõmittimus, vt de eiusmodi culpis admoneant, & diligenter inquirant.

Cap. IIII.

SIquis ex confessarijs de cætero, pecuniæ, & rerum restitutionem sibi à pænitente commissam infrà sex dies, absentię impedimento cessante, creditori non soluerit, facultate audiendi confessiones eo ipso priuatus existat, quo verò fraus omnis in pænitentiæ Sacramento tollatur, volumus, vt confessarius Apodixiam à creditore accipere teneatur, in qua tantā summam se habuisse per N. pro eius solutione, quod alter sibi debebat, sinè nominis tamen expressione, confiteatur, & hæc postea pænitenti tradatur. *Nauar. in Manual. cōfess. cap. 17. nu. 67.*

Cap. V.

CVm infirmitas corporalis nonnunquàm ex peccato proueniat, Medicis omnibus ordinamus, vt vbi eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia ad confessionem sacramentalem inducant, quàm si infirmus infrà tres dies, iusta causa cessante, non fecerit, deinde à curatione, & visitatione desistant, alioqui vltrà sacrorum Canonum pœnas, quinquag nta etiam aureorum multam incurrant. *C. cum infirmitas de pœnit. & remiss.*

De Eucharistiæ Sacramento. Cap. I.

QVia omnes vtriusque sexus fideles, discretionis annos habentes, iuxtà Eugenij Quarti declarationem Eucharistię Sacramentū à Dominica Palmarum vsque ad eam *C. omnis de pœnit. & remiss.*

quæ

quæ in albis dicitur inclusiuè, suscipere reuerenter, & religiosè tenētur, statuimus, quòd qui in præfinito termino, rationabili causa cessante, nō communicare præsumpserint, à Parochis post Octauam Paschæ in proximo festo, etiam generatim, admoneãtur, vt infrà quindecim dies, pro tribus, vnoq; peremptorio termino constitutos, cōmunionem studeant adimplere, secus excommunicationem, & ingressus ecclesiæ, & ecclesiasticæ sepulturæ interdictum incurrant.

Cap. II.

VT ad ægrotos omni reuerentia, omniq. studio religiosi cultus, quo ad eius fieri potest, Eucharistia in viaticum deferatur, præcipimus, vt manè, antè meridiem, non post, nec noctu, afferatur, nisi Parochus mortis periculum imminere cognouerit.

Cōc. Rhe. c.2. Conc. Later. sub Innoc. iij. c. 37. cap. praesit. 93. dist.

Cap. III.

INsuper Archipresbyteris, & Parochis inhibemus, ne præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum, cùm in procesionibus publicis, etiam in die festo corporis Christi, per vias, & loca publica circunfertur, in Vara, vt dicitur, sed in Pixide, siue parua custodia, manu gestanda, iuxtà Romanam consuetudinem deferant, secus multam viginti aureorum Ecclesiæ maiori persoluant.

De extremæ Vnctionis Sacramento.

SAcramentũ extremæ Vnctionis, quod Christus, Dominus noster, ad peccati reliquias abstergendas, ad ægroti animã confirmandam, ad morbi incommoda leuius perferenda, ad tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistendum, denique ad sanitatem interdum corporis, vbi animæ saluti expedierit, consequendam, instituit, vt maiori cum veneratione ad infirmos à Parochis deferatur, sub decem aureorum pœna ministerio Ecclesiæ applicanda inhibemus, nè post primam noctis horam administretur, nisi Parochus cognouerit imminere periculum mortis. Cõc. Trid. Seß. 14. cap. 11.

De ordinis Sacramento. Cap. I.

VIsitationis munus, Conciliorum decretis nobis impositum, exequẽtes, multorum querela comperimus, in Diœcesi nostra quàm plurimos esse, qui habitum clericalem, & tonsuram assumunt, vt vel debitam pro delictis punitionem euadant, vel à sæcularium personarum exactionibus sint immunes; nè igitur Ecclesiastica exemptione malitia foueatur, & iurisdictio nostræ eludatur, quibuscunque Clericis in Minoribus constitutis, qui ad sacros ordines suscipiendos ætate iure debita potiuntur, committimus

timus, vt ad ſacram Ordinationem in proximo futuro menſe Decembri, in noſtra Cathedrali faciendam, accedant, & deinceps quoties eam nobis habere contigerit, alioquin eiuſmodi fraudulentos fori priuilegio non gaudere, mãdabimus.

Cap. II.

VT in Eccleſia Dei cum cordis deuotione, etiam vocis iubilatione Domino decantetur, decernimus, nè deinceps Clerici Diœceſis noſtræ ad ſacrum Subdiaconatus ordinem aſſumendum accedant, niſi prius in Eccleſiaſtico cantu examinati, ab eius Magiſtro fidem approbationis; quæ gratis detur, obtineant, nec anteà ad doctrinæ inquiſitionem ab examinatoribus admittantur.

De Matrimonij Sacramento. Cap. I.

QVia vir, & mulier matrimonio in Domino copulantur, volumus pro tanti reuerentia Sacramenti, vt in Eccleſia, eaq. Parochiali, iuxtà Tridentini decretum adminiſtretur; Parochus vero, qui in priuatis domibus, aut alibi, ſponſos ſinè licentia noſtra coniunxerit, decem aureos eidem Parochiali perſoluat.

Cap. II.

NEminem ſanè ad tantum Sacramentũ, quod ſua Dominus præſentia honeſtare dignatus eſt, imparatè accedere decet, quapropter om

nibus, & singulis Archipresbyteris, Parochis, Cappellanis, eorumq. Vicarijs,& substitutis sub carceris pœna per mensem districtè mandamus, ne deinceps sponsos, cuiuscunque status, gradus, & conditionis existant, publicè denunciare, matrimonio copulare, & benedicere audeant, nisi ad salutationem Angelicam, præcationem Dominicam, articulos fidei, & Diuina mādata, diligenti examine præcedēte comprobētur Idonei.

Cap. III.

SPponsis, vt huius Sacramenti gratia digni reddantur, omninò interdicimus, ne antequàm ad Matrimonij celebrationem accedant, carnaliter coniungantur, secus vltrà pœnas arbitrio nostro infligendas,& peccati grauitatem, cuius absolutionem peculiari nostro Iuditio reseruamus, à Parochis ad contrahendum sine licentia nostra nullatenus, admittantur.

Cap. IV.

TEmpora, quæ iuxtà Concilij Tridentini decretum nuptias solemniter minimè celebrandas esse declarant, sic in ipsorum reuerentiam præcipimus obseruari, vt si Matrimonium aliquod de præsenti, tunc contrahi fortasse iustà ex causa contigerit, absque virorum, & mulierum comitatu ad ecclesiā procedatur, & lauta conuiuia, solemnesq. traductiones, sub decem aureorum pœna, penitus fugiantur.

Cōc. Trid. Sess. 24. cap. 8.

CONSTITVTIONES DIOECESANAE SYNODI

ILLVSTRISS^mi ET REVEREN^mi

D. D. MARCI LA CAVA

EPISCOPI MAZARIENSIS.



PANORMI,

Apud Io. Antonium de Franciscis, Impressorem Cameralem. MDCX.

SVPERIORVM PERMISSV.

CONSTITVTIONES DIOECESANAE SYNODI

ILLVSTRISS.mi ET REVEREN.mi

D. D. MARCI LA CAVA

EPISCOPI MAZARIENSIS.



PANORMI,


Apud Io. Antonium de Franciscis, Impressorem Cameralem. MDCX.

SVPERIORVM PERMISSV.



DON MARCVS LA CAVA

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPVS MAZARIENSIS VNIVERSO CLERO S. IN D.




X Multis, Dilectissimi Fratres, quæ à Sanctis Patribus, non humano, sed diuino consilio, propter Ecclesiasticas causas, & controuersias dissoluendas, pro moderandis moribus, & excessibus corrigendis inuenta sunt, illud in primis memoria dignissimum admirari non satis possumus, quòd præter œcumenica, & generalia totius reipublicæ Christianæ Concilia, Prouintiales etiam, & Diœcesanas Synodos pro particularium Ecclesiarum vtilitate omnibus palàm seruandas proponerent; sic enim multorum Conciliorum testimonijs, quorum decreta adhuc extant, comprobatum esse non ignoramus. Cùm igitur hoc ita sit, Nos ab impressis maiorum nostrorum vestigijs non recedentes, quod iam tempus ad-

monet, nunc primum, adiuuante Domino, in lucem proferimus, Deum ipsum precantes, vt quæ ex officij debito pro diuini nominis gloria suo gregi nobis credito facienda præcipimus, ipse, qui voluntatum præparator est, auxilio gratiæ suæ liberaliter adiuuare dignetur. Vos igitur, Consacerdotes, quibus animarum cura commissa est, monemus, hortamur, & pro pastoralis offitij diligentia iubemus, vt has Constitutiones præ manibus habeatis; quæque in ijs præcipiuntur, diligenter seruetis, quæ verò ad eos, qui vestræ curæ sunt, pertinent, seruanda curetis. Valete. Dat. Mazariæ 4. Mensis Octobris 1609.

CON-

CONSTITVTIONES DIOECAESANAE SYNODI ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D. MARCI LA CAVA EPISCOPI MAZARIENSIS.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.



OS Don Marcus la Caua Dei, & Apostolicę Sedis gratia Episcopus Mazariensis, & Catholicę Maiestatis Regius Consiliarius, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, hæc pro morum reformatione cum consilio Reuerendorum Vicarij nostri Generalis, Dignitatum, & Capituli nostræ Cathedralis Ecclesiæ, nec non Archipresbyterorum, & omnium Curatorum, in hac Synodo Diœcæsana decernimus, statuimus, & sancimus.

De Doctrina Christiana. Cap. 1.

IN Diœcæsi nostra dolenter accepimus, plerosque viros; ac Mulieres Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, & diuina præcepta, pœnitus

Cap. II.

VT Pueri bonis moribus diligenter instru cti à vitijs, alijsq. per multis erroribus retrahantur, vniuersos parentes, consanguineos, tutores, quorum interest, per hæc scripta monemus, vt in Ecclesijs, in Diœcæsi nostra ad hoc deputatis, filios, & vtriusque sexus infantes ad audiendam Doctrinam Christianã, à Summis Pontificibus gratijs, & indulgentijs summopere commendatam, conuenire procurent; secus eorum conscientias grauiter oneratas; ac Deum, & Superiores suos vltores habebũt, quos tandem prò modo culpæ sacramentali absolutione priuabimus.

De pœnitentiæ Sacramento. Cap. I.

QVò dignius, & maiori cùm reuerentia Pœnitentiæ Sacramentum administretur, quod hostis humani generis totis semper viribus oppugnare conatur; quibuscunque confessarijs tàm sæcularibus, quàm regularibus sub pœna suspensionis ipso facto audiendi confessiones, edicimus, ne sine causa ægrotationis extrà ecclesiam, & oratorium, siue Confessionale, mulierum confessiones intelligant, neve ante Solis Ortum, vel post eius Occasum; curentque, vt sint stola, & superpelliceo induti; caueãt maximè, ne hac occasione aliquid à pœnitenti-

bus petant, sibiq. pro pænitentijs iniunctis adscribant, vt simoniæ Labem, & auaritiæ suspicionem effugiant, quæ ab Ecclesiastico ordine est pœnitus abhorrenda.

Cap. II.

Conc.Trident. Sess. 13. c.7.

AD eorum criminum, quæ infrà adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, ne confessarij ab ijs quemquam sine facultate nostra, vel priuilegio, præterquàm in articulo mortis, absoluant:

1. Carnalis copula sponsorum, antequàm coram Parocho, & testibus matrimonio cõiungãtur.
2. Incestus cum consanguinea, vel affine.
3. Sodomia viri cum viro, & fęminæ cum fęmina intra vas.
4. Actus bestialis cum Bruto.
5. Peccatum eorum, qui domos ad ludendum exponunt.
6. Blasphemia publica.

Cap. III.

Conc.Trident. Sess. 14. c.5. de confess.

SAepius nobis innotuit, quòd peccata cordis occulta frequenter à pænitentibus ex ignorantia in confessione omittuntur, ne igitur Sacramentum integritate, & fructu fraudetur, vniuersis Confessarijs, etiam regularibus sub diuini Iuditij pęna cõmittimus, vt de eiusmodi culpis admoneant, & diligenter inquirant.

Cap.

Cap. IIII.

SIquis ex confessarijs de cætero, pecuniæ, & rerum restitutionem sibi à pœnitente commissam infrà sex dies, absentię impedimento cessante, creditori non soluerit, facultate audiendi confessiones eo ipso priuatus existat, quo verò fraus omnis in pænitentiæ Sacramento tollatur, volumus, vt confessarius Apodixiam à creditore accipere teneatur, in qua tantã summam se habuisse per N. pro eius solutione, quod alter sibi debebat, sine nominis tamen expressione, confiteatur, & hæc postea pænitenti tradatur. *Nauar. in Manual. cõfess. cap. 17. nu. 67.*

Cap. V.

CVm infirmitas corporalis nonnunquàm ex peccato proueniat, Medicis omnibus ordinamus, vt vbi eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia ad confessionem sacramentalem inducant, quàm si infirmus infrà tres dies, iusta causa cessante, non fecerit, deinde à curatione, & visitatione desistant, alioqui vltrà sacrorum Canonum pœnas, quinquaginta etiam aureorum multam incurrant. *C. cùm infirmitas de pœnit. & remiß.*

De Eucharistiæ Sacramento. Cap. I.

QVia omnes vtriusque sexus fideles, discretionis annos habentes, iuxtà Eugenij Quarti declarationem Eucharistię Sacramentũ à Dominica Palmarum vsque ad eam *C. omnis de pœnit. & remiss.*

quæ

quæ in albis dicitur inclusiuè, suscipere reuerenter, & religiosè tenētur, statuimus, quòd qui in præfinito termino, rationabili causa cessante, nō communicare præsumpserint, à Parochis post Octauam Paschæ in proximo festo, etiam generatim, admoneātur, vt infrà quindecim dies, pro tribus, vnoq; peremptorio termino constitutos, cōmunionem studeant adimplere, secus excommunicationem, & ingressus ecclesiæ, & ecclesiasticæ sepulturæ interdictum incurrant.

Cap. II.

VT ad ægrotos omni reuerentia, omniq. studio religiosi cultus, quo ad eius fieri potest, Eucharistia in viaticum deferatur, præcipimus, vt manè, antè meridiem, non post, nec noctu, afferatur, nisi Parochus mortis periculum imminere cognouerit.

Cōc. Rhe. c.2. Conc. Later. sub Innoc. iij. c. 37. cap. præsēt. 93. dist.

Cap. III.

INsuper Archipresbyteris, & Parochis inhibemus, ne præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum, cùm in processionibus publicis, etiam in die festo corporis Christi, per vias, & loca publica circunfertur, in Vara, vt dicitur, sed in Pixide, siue parua custodia, manu gestanda, iuxtà Romanam consuetudinem deferant, secus multam viginti aureorum Ecclesiæ maiori persoluant.

De

De extremæ Vnctionis Sacramento.

SAcramentũ extremæ Vnctionis, quod Christus, Dominus noster, ad peccati reliquias abstergendas, ad ægroti animã confirmandam, ad morbi incommoda leuius perferenda, ad tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistendum, denique ad sanitatem interdum corporis, vbi animæ saluti expedierit, consequendam, instituit, vt maiori cum veneratione ad infirmos à Parochis deferatur, sub decem aureorum pœna ministerio Ecclesiæ applicanda inhibemus, nè post primam noctis horam administretur, nisi Parochus cognouerit imminere periculum mortis. Cõc.Trid. Sess. 14. cap. 11.

De ordinis Sacramento. Cap. I.

VIsitationis munus, Conciliorum decretis nobis impositum, exequẽtes, multorum quærela comperimus, in Diœcesi nostra quàm plurimos esse, qui habitum clericalem, & tonsuram assumunt, vt vel debitam pro delictis punitionem euadant, vel à sæcularium personarum exactionibus sint immunes; nè igitur Ecclesiastica exemptione malitia foueatur, & iurisdictio nostra eludatur, quibuscunque Clericis in Minoribus constitutis, qui ad sacros ordines suscipiendos ætate iure debita potiuntur, commit-

timus, vt ad ſacram Ordinationem in proximo futuro menſe Decembri, in noſtra Cathedrali faciendam, accedant, & deinceps quoties eam nobis habere contigerit, alioquin eiuſmodi fraudulentos fori priuilegio non gaudere, mãdabimus.

Cap. II.

VT in Eccleſia Dei cum cordis deuotione, etiam vocis iubilatione Domino decantetur, decernimus, nè deinceps Clerici Diœceſis noſtræ ad ſacrum Subdiaconatus ordinem aſſumendum accedant, niſi prius in Eccleſiaſtico cantu examinati, ab eius Magiſtro fidem approbationis, quæ gratis detur, obtineant, nec anteà ad doctrinæ inquiſitionem ab examinatoribus admittantur.

De Matrimonij Sacramento. Cap. I.

QVia vir, & mulier matrimonio in Domino copulantur, volumus pro tanti reuerentia Sacramenti, vt in Eccleſia, eaq́. Parochiali, iuxtà Tridentini decretum adminiſtretur; Parochus vero, qui in priuatis domibus, aut alibi, ſponſos ſinè licentia noſtra coniunxerit, decem aureos eidem Parochiali perſoluat.

Cap. II.

NEminem ſanè ad tantum Sacramentũ, quod ſua Dominus præſentia honeſtare dignatus eſt, imparatè accedere decet, quapropter om

nibus, & ſingulis Archipresbyteris, Parochis, Cappellanis, eorumq. Vicarijs, & ſubſtitutis ſub carceris pœna per menſem diſtrictè mandamus, ne deinceps ſponſos, cuiuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, publicè denunciare, matrimonio copulare, & benedicere audeant, niſi ad ſalutationem Angelicam, præcationem Dominicam, articulos fidei, & Diuina mādata, diligenti examine præcedēte comprobētur Idonei.

Cap. III.

SPponſis, vt huius Sacramenti gratia digni reddantur, omninò interdicimus, ne antequàm ad Matrimonij celebrationem accedant, carnaliter coniungantur, ſecus vltrà pœnas arbitrio noſtro infligendas, & peccati grauitatem, cuius abſolutionem peculiari noſtro Iuditio reſeruamus, à Parochis ad contrahendum ſine licentia noſtra nullatenus, admittantur.

Cap. IV.

TEmpora, quæ iuxtà Concilij Tridentini decretum nuptias ſolemniter minimè celebrandas eſſe declarant, ſic in ipſorum reuerentiam præcipimus obſeruari, vt ſi Matrimonium aliquod de præſenti, tunc contrahi fortaſſe iuſtà ex cauſa contigerit, abſque virorum, & mulierum comitatu ad eccleſiā procedatur, & lauta conuiuia, ſolemnesq. traductiones, ſub decem aureorum pœna, penitus fugiantur. *Cōc. Trid. Seſſ. 24. cap. 8.*

Cap. V.

POstremò Parochis ſub quinque aureorum multa etiam inhibemus, ne noctu ante Auroram, vel poſt Solis Occaſum ſine licentia noſtra celebrationi Matrimoniorũ interſint.

De Blaſphemia. Cap. I.

BLaſphemiæ execrabile ſcelus ſic paruipendere quoſdam audimus, vt cùm longè ſit grauius æternam, quàm temporalem lędere Maieſtatem, in eam tamen linguam impudenter relaxare præſumunt, quare Nos Pontificum decretis innixi, mandamus, vt quicunque laicus Deum, vel Sanctos, maximè Beatam Virginem, Blaſphemauerit, primùm pœnam viginti ducatorum incurrat, ſecundò duplicabitur pęna, poſtremò centum aureos pijs operibus applicandos perſoluet. Qui verò plebeius fuerit, & ſoluendo non erit, pro prima vice arbitrio noſtro, vel Vicarij loci ſeuerè iuxtà ſacros Canones punietur, pro ſecunda manus poſt terga reuinctus, ante fores Eccleſiæ conſtituetur, pro tertia per Vrbem fuſtigabitur.

C. fin. de Maled.

Cap. II.

SI, quod abſit, Clericus hoc Blaſphemiæ nefarium crimen admiſerit, pœnis conſtitutionis Pij V. quæ incipit, cum primùm ſubdetur. Confeſſarij autem attendant, vt in foro

con-

conſciẽtiæ ei, qui Blaſphemus extiterit, pro modo culpæ pænitentiam grauem imponant, vt à temeritate ſua de cætero compeſcatur.

De Feſtis, eorumq. cultu. *Cap. I.*

DIes feſtos à dimidia in mediã noctẽ cum omni veneratione obſeruari, & ab vniuerſo opere illicito præcipimus abſtinere; cùm enim ij potiſsimum ad celebrandas Dei, ſanctorumquè laudes, & ad excitandam imitationem ſalutariter fuerint inſtituti, curandum eſt, nè ipſis quiſquam ad diuinam offenſionem, & animæ ſuæ perniciem abutatur. Quos autem coli, & ſanctificari decernimus, à prædeceſſore noſtro Bernardo in Synodo Diœceſana annotantur, ad eos tamen ex generali omnium deuotionẽ glorioſiſsimos Sanctos, Franciſcum Aſsiſium, Religionis caput, & humilitatis exemplum, ac Vitum, quem ex hac Ciuitate Mazarien ſi genus duxiſſe, antiqua ciuium traditione, pijsq; argumentis habemus, intra mœnia Ciuitatum, & Terrarum totius noſtræ Diœceſis adiungimus, eoſdẽ orando, vt pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.

Cap. II.

EAę ſunt morum hodiè corruptelæ, is deprauatus vſus, vt dies Feſti Deo, ſacriſq. rerũ officijs dedicati, non modò ſanctè, ſicut oportet, non venerentur, ſed quod grauius eſt,

operibus ab eorum cultu penitus alienis nefariè violentur. Nos itaque in hac maxima offensione duximus edicendū, nè quis diebus festis, horis saltem, quibus diuina celebrantur officia, alearum, & talorum ludis intendat, qui verò in his, & similibus tunc prohibitis actionibus deprehendetur, si ignobilis fuerit, carceris pœnam per mensem incurrat, si autē nobilis, aureos viginti persoluat.

Cap. III.

QVò plenius pro communi vtilitate euenientibus necessitatibus, satisfiat, petentibus indulgemus, vt causa vrgēte, diebus festis, præterquam in maioribus anni sollemnitatibus, cùm nostra, vel Vicarij nostri licentia, operi seruili intendere liceat, ità tamen, vt Ecclesijs, & Christi pauperibus congruam faciant eleemosynam, quæ ab Archipresbyteris, Parochis, siue Rectoribus in libro ad hoc deputato, & in visitatione exhibendo, annotetur.

C. licet de ferijs.

De Ecclesiarum cultu. Cap. I.

QVia Domus Domini diuinis obsequijs dedicata, nullius est temerarijs actionibus prophananda, ordinamus, vt ad Ecclesias sit humilis, & religiosus ingressus, ac in eis deuotis orationibus insistatur, omnes primum sanctissimum Sacramentum genibus flexis adorent, & ad nomen Iesu Christi, Domini nostri

C. decet. de immu. Ecclesi. in 6.

cum

cum exhibitione reuerentiæ caput inclinet; Nullus ibi deambulare præsumat, seditionem faciat, tumultū excitet, clamores moueat, impetumvè committat, cessent item vana, fœda, & prophana colloquia, alia denique, quæ oculos diuinæ Maiestatis offendere possunt. Qui verò admoniti, prædicta contempserint obseruare, præter diuinam vltionem, arbitrij nostri pœnas se nouerint incursuros.

Cap. II.

IMproborum hominum temeritati occurrere cupientes, statuimus, & vniuersis Ecclesiarum, Monasteriorum, Societatū, & Confraternitatum Cappellanis, Rectoribus, & Sacristis præcipimus, vt post Missarum, ac diuinorum celebrationem Officiorum, fores occludant, nec eas aperire præsumant, nisi vbi id ratio festiuitatis exigeret, alioquin sex aureos omninò persoluant, qui pauperibus, aut prædictis locis, quatenus indigeant, erogentur. Hæc autem constitutio etiam à regularibus obseruetur, secus confessiones audiendi priuationem incurrent.

Cap. III.

INsuper ordinamus, vt nulli liceat, præsertim dum sacra Missarum mysteria, aut alia diuina Officia celebrantur, Ecclesiarū ianuis, & aquæ benedictæ fontibus interesse, nè mulie-

res,

res, quæ ibidem ad orandum humiliter, & deuotè conueniunt, oculorum concupiscentia à deuotione, & orationibus abstrahantur; qui verò admoniti, secus fecerint, inde ignominia affecti, expellantur, aut id ad nos deferatur.

Cap. IIII.

QVò debitus honor Ecclesiæ matrici reddatur, quibuscunque Cappellanis, Rectoribus, & Sacristis sub pœna carceris ordinamus, ne antequàm Cathedralis, vel maioris Ecclesiæ campana pulsauerit, in Ecclesijs suis campanas pro Salutatione Angelica post Solis Occasum, aut pro signo orationis Dominicæ ante ortum illius, vel ad conuocandum populum pro prædicatione audienda, pulsare præsumant. Idem quoque à Regularibus die Sabbathi maioris Hebdomadæ iuxtà Leonis X. Constitutionem, quæ incipit, Dum intra: præcipimus obseruari.

Cap. V.

NOnnulli suorũ excessuum impunitatem per Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum defensionem obtinere sperantes, homicidia, Mutilationes, & furta, cæteraq. nefanda committere non verentur; quapropter quibuscunque Archipresbyteris, Parochis, Cappellanis, Rectoribus, & Sacristis districtè mãdamus, ne in Ecclesijs, earumq. domibus, Hæreti-

C. Immunitatem. eod. tit.

cos, Rebelles, Sacrilegos, Falsarios, Monetarios, Raptores, Pacis violatores, Latrones, Assassinos, Homicidas, Bannitos, cæterosq. maleficos, qui hoc immunitatis prætextu delinquũt, iuxtà Gregorij xiiij. constitutionem, tacite, vel expresse recipiant, quòd si casu prædicti ad ea loca confugerint, eos nobis, vel Vicario loci infrà vigintiquatuor horarum spatium denunciare teneantur. Qui verò contrafecerint, excommunicationis sententia, eo ipso innodetur. Idem quoque à regularibus sub pœna suspensionis ab audienda confessione obseruetur.

De celebratione Missarum. Cap. I.

NImis videtur absurdum, sordes in sacris negligere, quę dedecerent etiam in prophanis: idcirco vniuersis Presbyteris, & Ecclesiarum Curatoribus ordinamus, vt indumenta Sacerdotalia pro celebratione Missarum, altarium mappæ, siue tobaliæ, pallæ, purificatoria, & corporalia, pura, & nitida conseruentur, alioquin diuinam indignationem incurrere certò sciant.

Cap. relin qui de custodia Euch.

Cap. II.

NE in Ecclesijs tàm sæcularibus, quàm regularibus ante Auroram, nevè alijs dèinde, quàm horis debitis, celebretur, præsenti constitutione mandamus; constat enim huiusmo-

Cõc. Trid. Sess. 22. in decreto de obser. & euit. in celebr. Miss.

iusmodi occasione tùm temporum vitio, tùm hominum improbitate multa noctu mala committi, quæ à tanti sacrifitij cultu sunt pœnitus aliena; eum verò, qui transgressor extiterit, per mensem, si presbyter fuerit sæcularis, à celeberatione ipso facto suspendimus; si autē regularis, vnà cùm alijs, qui tunc temporis in conuentu confessariorum munus exercent, prædicto offitio eo ipso priuamus.

Capp. III.

AD contumelias, derisiones, conuitiaq. tollenda, quæ dum corpus, & sāguis Domini nostri Iesu Christi eleuatur, fieri ab infidelibus solent, statuimus, ne fideles, quo tempore Missæ sacrificium celebratur, in Ecclesiam cuiuscunque sectæ, & sexus infideles adducant, qui si per Archipresbyteros, Curatos, Sacristas, vel alios moniti, non paruerint, vltra diuinam offensionem, excommunicationis vinculo irretiantur, & infideles vi turpiter foras eijciantur; eos autē ad cōciones admittimus, & inuitamus.

Cap. IV.

AVaritia, quæ discipulum Christi comitem captiuauit, ita hodie in aliquorum Sacerdotum animis inoleuit; vt pro vnà, eademq. Missa, duas, & interdum plures eleemosynas, siue pitantias, furtiuè accipere non formident, vnde fit, vt ij, pro quibus sacrificium illud

offertur, debito, ac iusto valore fraudari querantur; cui malo nos prouidere volentes, decernimus, quòd qui de cætero id quocunque prætextu commiserit, vltra restitutionem excessus, per mensem à celebratione suspensus intelligatur.

Cap. V.

IN hac Synodo Diœcæsana referentibus vniuersis, accepimus, eleemosynam pro Missis celebrãdis temporum iniuria adeò tenuem esse, vt pauperes Sacerdotes, vel cum ordinis dedecore mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere cogantur. cùm igitur secundùm Apostolum, qui altari seruit, de altari viuere debeat, Presbyteris quibuscunque concedimus, vt in vitæ subsidium pro singulis Missis, quauis ratione, siue ex benefitiorum fundationibus, siue ex pijs defunctorum legatis, & eleemosynis, faciendis, tarenum vnum accipere possint, dispositione quacunque alia non obstante. Eisdem autem præcipimus, vt muneri suo in loco, tempore, & numero fideliter satisfaciant.

xij.q.1.ex bis.et c. cũ secũdum. de Preb.

De Diuinis offitijs. Cap. I.

DOlentes sanè referimus, quòd quidã Clerici in choro, vbi Dei nomen Hymnis, & Canticis inuocatur, silentium fugiẽtes, indebitos ibi sermones effundunt, & aures intentas non porrigunt ad diuina: idcircò omnibus ad

C. dolẽtes de celebr. Miss.

Psallendum adscriptis præsenti Constitutione mandamus, vt Diuinũ offitium attentè celebrẽt & deuotè, alioqui fructibus, distributionibus, & emolumẽtis Ecclesiasticis arbitrio præfecti chori priuentur.

Cap. II.

NE sacrum, & diuinum offitium parte ex aliqua minuatur, sed perfectè à quibuscunque præstetur, præcipimus, ne quis ante offitium persolutum è choro discedat, nisi necessitate cogẽte, idq. petita à superiore licẽtia.

C. Sacerdote. de cõsec. dist. 1.

Cap. III.

RAtio postulat, vt omnes Clerici tũ in minoribus, tùm in maioribus cõstituti, in diuinis offitijs, & ordinum functionibus in ea Ecclesia, cui ascripti fuerint, se diligẽter exerceãt; igitur ordinamus, vt omnes prædicti, etiam Presbyteri, diebus saltẽ Dominicis, & festis solẽnibus ad sacra, & diuina offitia celebranda se cõferãt; qui secus fecerint, si per superiorẽ admoniti, non paruerint, vltrà carcerem ad arbitriũ, per mensem emolumentis Ecclesiasticis, & distributionibus quibuscunque, etiam pro defunctorum depositionibus, Anniuersarijs largiendis, omninò priuentur. crescente verò contumacia, quamprimum Vicarij, & Archipresbyteri nos faciant certiores, vt opportunis remedijs consulamus,

Cõc. Trid. Sess. 24. c. 11. 14. & 11.

Bene-

Beneficia insuper obtinentes, choro tàm frequenter afsistant, vt suo muneri satisfaciant, alioqui pœnas à iure statutas incurrant. *Ibid. c. 12. de refor.*

Cap. IIII.

LAicis omnibus sedes in Presbyterio Clericis deputatas, tempore diuina offitia celebrandi vsurpare, seq. contra Canonũm instituta cum Psallẽtibus immiscere, sub excommunicationis pœna inhibemus, cõstitutis in aliquo dignitatis offitio Curiæ nostræ, vel temporalis, dumtaxat exceptis, vbi prædicationem audire voluerint. *C. Sacerdotum. de cõsec. dist. 2 c. vt laici de vit. & honest. Cler.*

Cap. V.

VT inter personas Ecclesiasticas debitus in Ecclesijs ordo in sedendo seruetur: statuendo mandamus, vt dignitates, Canonicatus, personatus, offitia, præbendas, & quæcunque alia benefitia obtinẽtes, in choro in proprijs sedibus deputatis afsideant; qui verò occupauerit alienas, tunc honoris reuerentia, & pro gradu prærogatiua priuetur.

Cap. VI.

AD diuini offitij celebritatem spectare cognoscimus, vt dignitates, Canonicatus, & personatus in nostra Cathedrali obtinẽtes, almutiam, siue capucium proprio gradui congruentem tùm in choro, tùm in supplicatio-

nibus publicis deferant, in hoc verò qui negligens fuerit, ad dies sex emolumentis Ecclesiasticis reipsa priuetur.

Cap. VII.

VT vnus, idemq. ritus in diuinis offitijs ab omnibus teneatur, præcipimus, Cærimoniale Romanum nuper recognitum, & reformatum in nostris Ecclesijs, ita pœnitus obseruari, vt nullo vnquàm tempore in toto, vel in parte mutari, vel ei aliqiud addi, aut omninò detrahi posit, quocirca districtè mandamus, vt cũ in nostra Cathedrali, tum in alijs diœcæsis nostræ collegiatis, vnus saltem cærimoniarum Magister cum omnibus prærogatiuis, & præeminentijs, quæ & ei in Cærimoniali prædicto, & nostrę Ecclesiæ personatibus, conceduntur, instituatur: cuius ministerio, & cura Ecclesiastica munia sint obeunda; Is autem sit statura corporis conuenienti, & multo magis scientia, & bonis moribus eruditus.

De Vita, & Honestate Clericorum. Cap. I.

CVm bonorum operum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga superiores reuerentia, frequentior item corporis Christi communio, Clericos maximè deceant; statuimus, vt ij in vnoquoque munere iuxtà præscriptum nostrum se dili-

diligenter exerceant, & in tertia Dominica cuiuſlibet mẽſis, ac Subdiaconi, & Diaconi, etiam cum altari miniſtrauerint, ſacram Euchariſtiam reuerenter accipiant; Statutis denique diebus in Congregationem ſe conferant; quòd ſi prædicta facere recuſarint, gabellarum, & immunitatis rerum priuationem ſe nouerint incurſuros, quin contumacia procedente, nec fori priuilegio potituros, recipimus.

Cap. II.

ALearum, & talorum ludis, quorum occaſione ad ſcãdala, Blaſphemias, & ad alias diſſolutionis materias deuenitur, vniuerſis Clericis interdicimus; Qui autẽ hoc deliquerit, pro prima vice quinque aureos, pro ſecunda decem, pro tertia verò quindecim omninò perſoluat; quòd ſi vlterius in eiuſmodi ludẽdi vitio perſeuerauerit, latã excõmunicationis ſententiã abſq; alia declaratione volumus incurriſſe. Verũ ſi interdũ animi, ſeu valetudinis cauſa, parua Pila, aut alio non indecoro eiuſmodi exercitationis genere vti contigerit, nec id publicè faciant, nec cum perſonis ſcãdalo aliquo modo notatis; Qui etiam ſub pœna carceris potiſſimum caueant, ne huiuſmodi prohibitis ludis interſint.

C.Epiſcopus di.35. c. Clerici; de vit. & honeſt.

Cap. III.

CLericis, vt in conſpectu omnipotentis Dei puro corde, & mundo corpore valeãt miniſtrare,

C.vt Clericorũ. de vit.& honest.Cler. Cõc.Trid. Seß.25. c. 14. de refor.

ſtrare, mandamus, ne concubinas in proprijs, vel alienis domibus, palam, vel occultè tenere; præſumant, ſecus vltrà ſacrorum Canonum pœnas, præſertim ſacri Concilij Tridentini, aureis etiam quinquaginta mulctentur.

Cap. IV.

C.Cler.de exceſ.Praelat.& 32. q.11.flagitia.

NEfarium id ſcelus contrà naturam, propter quod ira Dei in filios diffidentiæ venit, acerbiſsimum nobis dolorem inurit, vt ad illud comprimendũ noſtra ſtudia conferamus. ne itaquè tanti flagitij contagium fidentius inualeſcat, Clericos huius nefarij criminis reos ſic grauius vlciſcendos deliberauimus, vt quicunque, cuiuſuis gradus, & dignitatis exiſtat, Sodomiæ peccatum admiſiſſe conuincitur, vltrà pœnas à Summis Pontificibus conſtitutas, perpetuis triremibus intelligatur addictus; quòd ſi per aduerſam valetudinem hoc pænitentiæ genus pati non poterit, ſempiternè in carcerem recludatur.

Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit, Horrĩdũ.

Cap. V.

AD omnem facultatem à perditis hominibus amouendã vniuerſis Clericis, cuiuſcunque gradus, & dignitatis exiſtãt, edicimus, vt Homicidas, Latrones, Graſſatores, Malefactores, & alios quouis crimine capitali Bannitos, in ſuis ædibus, ſiue locis receptare, aut vt in his receptentur, permittere, non præſumant, alio-

alioquin excommunicationis sententia ipso facto innodentur.

Cap. VI.

MAndamus, vt qui Clericus, cuiuscunque gradus, & cõditionis existat, tonsionis, aut falsificationis monetæ detestabile crimen cõmisisse, & perpetrasse conuictus extiterit, vel ad hoc alteri opem, fauorẽ, consiliumq; præstiterit, benefitijs spolietur, & triremibus destinetur; quòd si hanc pœnam per infirmã valetudinem subire nequierit, ad agendam pænitentiã in carcerem ad quinquennium recludatur.

Cap. VII.

CVm is delictum verè committat, cuius mandato committi probatur: sciant Clerici, quòd quicunque in quouis gradu, & ordine constitutus, aliorum opera proximum suum iniuria, vel damno confecerit, eadem pœna plectetur, qua facientes legum condemnat auctoritas. *C. si culpa de Iniurijs.*

Cap. VIII.

VNiuersos Clericos admonemus, quòd qui furta in suis locis, & ædibus occultarit, aut particeps eorum extiterit, eadem qua fur ipse, pœna damnabitur. *C. qui cum fure. de furtis.*

Cap. IX.

QVorundam Clericorum temeritatem reprimere cupientes, eos in Domino Hortamur,

vt

vt commertia sæcularia fugientes, eam sanè vitam ducere studeant, quæ probitatis, & honestatis specimen proferat; Illos verò, qui proximo contumelias irrogare, aut alijs irrogantibus opem ferre, præsumpserint, sic districtè corrigere pollicemur, vt alij similia attentare de cætero compescantur.

Cap. X.

QVàm plurimi ex Clero suarum rerum immunitatem in legis fraudem ad alienas extendere non verentur, quatenus in publicarum exactionum dispendium fictas emptiones, & venditiones contrahunt, periurantes, ac simulatas cum parentibus, cognatis, & familiaribus donationes admittunt. cùm igitur id ferendum non sit, præsenti decreto hæc, & similia instrumenta à Clericis omninò fieri, prohibemus; Qui verò contrafecerint, vltrà latam excommunicationis sententiam, rei sic emptæ, venditæ vel donatæ amissione plectantur, quæ eo ipso Ecclesiæ maiori acquiratur; addimus insuper, quòd imposterum donationes, emptiones, & venditiones, ab eis quauis ratione contractas, sine licentia nostra nullatenus remittere posśint, si secus fiat, irritum, & inane, quodcunque attentatum fuerit, declaramus.

Cap. X I.

ADuersus Clericos, qui sui status obliti, in suis locis, & ædibus publicè ludentes admittunt; pœnam aureorum viginti proponimus, siquidem compertum habemus, quòd quò minor ludentibus aderit ludendi commoditas, eò magis adimetur ludos exercendi libertas.

Cap. X I I.

SAcrorum Canonum vestigijs inhærendo, sub pœna carceris ad duos menses, alijsq. à iure statutis, Clericis quibuscunque mandamus, vt coram Iudice sæculari accusatores, testes, Procuratores, aut Aduocati fieri non præsumant, nisi cum facultate nostra in scriptis obtenta suam, vel Ecclesiæ suæ, vel propinquorũ, & miserabilium personarum causam licitè, & modestè fuerint prosecuti. *C. Clerici de Postul.*

Cap. X I I I.

VT incontinentiæ memoria longissimè à personis Ecclesiasticis arceatur, voluimus, vt nulli liceat Clericorum filios suos, illegitimè genitos, secum per vias, & loca publica, aut in Ecclesias ad sibi inseruiendum ducere; qui verò contrauenerint, viginti aureorum pœna mulctentur, quæ pijs operibus applicentur. *C. proposuisti. 82. dist.*

Cap. XVIII.

CLericis, ne mala de se suspicari permittant, sub pœna carceris ad dies octo vetamus, ne noctu per vicos Ciuitatis cantantes, vel sonantes incedant, aut alios cum instrumentis musicis comitentur, quare potestati sæculari committimus, vt eos, sic deprehensos, conspectui nostro, vel Vicarij nostri præsentet.

Cap. XIX.

OPortet, vt per decentiam habitus extrinseci, intrinseca morum integritas ostendatur: propterea omnibus Clericis ordinamus, ne tunicam per medium mulierum more partitã, aut manicas sericas acu, vel ferro insignitas, seu picatas vulgariter nuncupatas, deferre præsumant, alioquin sacrorum Canonum pœnis se intelligant puniẽdos, ac præterea eiusmodi vestes indecentes amittant; eidem quoque vltioni subiaceant, si Pileum cum velo crispo laicorum modo portauerint.

Clem. de vit. & hones. Cler. c. quoniã.

Cap. XX.

EIs insuper prohibemus, ne anulos ferant, nisi dignitates, Canonicatus, vel benefitiũ curatum obtineãt, aut Vicarij, etiam Foranei, Doctores, vel cæremoniarum Magistri in nostra Cathedrali fuerint constituti; eum

C. Clerici offitia. de vit. & hones. Cler.

verò

verò, dum Sacerdos Missæ sacrificium facit, omninò deponat. qui verò gestare præsumpserint, per sex dies carceri mancipentur, & Anuli amissionem, qui denuncianti acquiratur, incurrant.

Cap. XXI.

ID genus vestis, quæ Robba vulgariter nominatur, nisi sit nigra, & simplex, penitus prohibemus; qui verò alterius coloris contra sacrorum Canonum instituta detulerint, ipsius amissionem incurrant; eos tamen excipimus, quibus ex officio, vel gradu competit dignitatis. sericam autem artificio aliquo elaboratam, dignitates, vel Canonicatus obtinentibus, Vicarijs, etiam foraneis, Archipresbyteris, Doctoribus, & cærimoniarum Ecclesiæ cathedralis Magistris permittimus.

Cap. XXII.

VItæ etiam, & honestati maximè conuenit, ne Clerici capillis exquisitum, & elegantem, sed simplicem cultum adhibeant: nevè comam nutriant, neque barbam, quæ à superiori labro ita à Sacerdotibus recidatur, vt ne pili in sacrificio Missæ corpus, & sanguinē Christi Domini sumentem impediant; qui verò in aliquo præmissorum defecerit, tarenis sex pauperibus largiendis inuiolatè mulctetur, & Vicarij id exequi retardantes, arbitrio nostro plectantur. *C. Clericis de vit. & honest.*

Cap.

Cap. XXIII.

VT personæ ſpiritualis militiæ non ſolum habitu, ſed charactere etiam aliquo à ſæcularibus dignoſcantur: decernimus, vt Clerici cuiuſcunque ordinis, & gradus exiſtant, coronam, ſiue tonſuram, quam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur, apertam omni tempore ferant: hæc verò vnius hoſtiæ circulum non excedat, ſecus ſuperbiæ vitio, & carceri arbitrio noſtro ſubiaceant.

Cap. XXIV.

CLerici, ne intuentium aſpectum offendant, caueant diligẽter, ne domo exeant, officinas adeant, aut per vicos incedant, ſuperpelliceo induti, niſi cùm proceſsiones, aut aliud Eccleſiaſticum offitium obeunt, quod ipſum aliquo modo requirat, ſecus vnius aurei pœna, pijs operibus applicanda, mulctentur.

Cap. XXV.

NE aures, & oculi offitijs ſacris addicti, ſermonibus ludicris, & impuris actionibus polluantur: Clericis denique prohibemus, ne Fabulis, & Comœdijs, alijsuè ſpectaculis inanibus, & prophanis interſint, alioquin præter carcerem ad arbitrium, ſacrorum Miniſterio priuabuntur.

C. Clerici de vit. & hon. Cler.

De Clericis Peregrinis.

NE criminosæ in Diœcæsi nostra personæ suscipiantur, sub pœna carceris ad duos menses. Peregrinis Clericis ordinamus, ne Missas celebrare, aut Sacramenta, vel alias ordinum functiones administrare præsumant; nisi prius commendatitias sui ordinarij litteras nobis, vel Vicarijs nostris ostenderint, quare Archipresbyteris, Parochis, Cappellanis, & quibusuis Clericis, Ecclesijs inseruientibus, sub decem aureorum pœna mandamus, ne, nisi hoc constito, illos ad prædicta recipiant.

Can. dua sunt. 19. q. 11. Cōc. Trid. Seß. 23. cap. 16.

De percussoribus Clericorum.

QVamuis sacris Canonibus cautum sit, vt qui, suadente Diabolo, manus in personas Ecclesiasticas iniecerint violentas, excommunicationis vinculo puniantur: Nos tamen, ne tantum crimen longius inualescat, hos sacrilegos ciuilium etiam legum gladio deterrere decreuimus. Itaque statuendo, mandamus, quòd qui Clericum Palma, Pugno, ense, Baculo, aliove instrumento percusserit, pœnas quoque cōstitutionum Regni citrà sanguinem, vltrà excommunicationem incurrat.

C. siquis suadente 17. q. 4.

De Monialibus. *Cap.* *I.*

Cōc.Trid. Seſſ. xxv. cap. 3.

QVò ſalutare Monialium inſtitutum valeat aptius conſeruari, mandamus, vt in Monaſterijs, quæ vel ex proprijs reditibus, vel ex conſuetis eleemoſynis viuũt, is tantum numerus impoſterum conſtituatur, qui ex ijs poſsit commodè ſuſtentari; quòd ſi aliæ inſuper in ſorores recipi petant, pro dote, & in vitæ ſubſidium centum quinquaginta vncias ſecum deferre teneantur, niſi ex cauſa iuſta aliud viſum nobis fuerit expedire, ſi ſecus fiat, irritum, & inane decernimus.

Cap. *II.*

SAnctimonialium Monaſteria, vt domos Domini, illibata, & pura conſeruare volentes, ſub pœna fuſtigationis mulieribus famoſis, & meretricibus ordinamus, ne ædes illis proximas per quadraginta paſſus inhabitent. Idem etiam circà Epiſcopale palatium volumus obſeruari.

Cap. *III.*

INſuper prohibemus, ne quis noctu propè ipſa Monaſteria, etiam Conuertitarum, & Orphanarum, ad canendum, aut cum inſtrumentis muſicis remoretur, alioquin per Vicarium loci ad arbitrium carcere puniatur.

Cap.

Cap. IIII.

DEcernimus, vt dum Monialis præficitur Abbatissa, vel virgo ad habitum, seu ad emittendam professionem admittitur; aut in Ecclesia Monasterij festum aliquod celebratur, commessationes, conuiuia, munera, magnifici, & prophani apparatus; aliæq. dissolutæ celebritates penitus fugiantur, alioquin Præfectam, Hæc fieri tolerantem, pœnam suspensionis offitij per mensem volumus incurrisse.

De Mulieribus Tertiarijs.

NE sub velamine sanctitatis, obscena, aliaquè quàm plurima, animarum periculũ parientia, committantur: sub pœna fustigationis, & eiectionis ab oppido duximus prohibendum, nè deinceps Mulieres, maximè meretrices, lenæ, maleficæ, vel alia ratione inhonestę, sororum tertij ordinis alicuius Religionis habitum deferre præsumant, sine eorũ prius, ad quos spectat, obtenta licentia, eoq. constito, quòd virtutum Domino in humilitatis spiritu voluerint deseruire, quare superiores, quò ad possumus, admonemus, vt in earum moribus perquirendis diligentem examinationem adhibeăt, signumq. constituăt, quo veræ, & legitimæ Tertiariæ à falsis, & adulteris valeant internosci.

De Pijs Legatis. Cap. I.

NE quæ prò peccatorum remedio, vel animarum salute Ecclesiæ, vel Christi pauperibus vnusquisque contulerit, diutius differantur: præsenti cōstitutione duximus edicendum, vt ad Pios vsus legata intrà sex menses à die publicationis huius Synodi numerandos executioni mandentur, alioquin transacto termino constituto, Confessarijs, etiam exemptis, sub pœna suspensionis audienda confessione, mandamus, ne ijs, ad quos prædicta impleri spectant, donec satisfecerint competenter, beneficium absolutionis impendant, in quos tandem iuxta sacras leges excommunicationis sententiam proferemus.

Cap. qui oblationes et seq. 13. q. 11.

Cap. II.

NOtarijs, scribisq. omnibus excommunicationis sententiam ipso facto proponimus, qui testamenta, codicillos, aliasuè tabulas de legatis ad pias causas rogati conscripserint, vel ab alijs scriptas apud se aliqua ratione retineant, nisi id nobis, & in oppidis Diœcæsis nostræ Vicarijs Foraneis, intrà mensem significauerint.

Cap. III.

SImili quoque Anathemati eosdem volumus subiacere, qui posthac eius generis instrumenta

menta conſcripſerint, niſi intrà quindecim dies, à morte teſtatoris numerandos, rem ipſam, vt præfertur, denunciauerint; quòd ſi iuſtum interceſſerit impedimentum, quo minus hæc omnia ſic agantur, eo ſublato, Notarij, quæ ſuprà ſcripta ſunt, exequi teneantur.

Cap. I V.

QVò facilius ſecundum defuncti voluntatem vniuerſa procedant, volumus, vt, ſimulatq. quis de hac luce migrauerit, antequàm ſepulturę mandetur, hæredes, vel alij, qui in exequiarum curam incumbunt, à Notario Fiarum illius diſpoſitionum Vicario generali, & in locis Diœcæſis noſtræ Vicarijs Foraneis fidem indubiam deferre teneantur. Verùm ſi teſtamentum clauſum, vel obſeratum conditum fuerit, eo aperto, hoc, quod præcepimus, à ſupradictis adimpleatur, alioquin viginti aureorum multam incurrant.

De rebus Eccleſiarum annotandis, & conſeruandis.

Cap. I.

DIuinum Patrimonium pro Eccleſijs, earumq. miniſtris, integrum, & illibatum conſeruare volentes, omnibus Societatum, Confraternitatum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Montium Pietatis, ac quorumcunque piorum locorum Rectoribus, & Præfectis, ſtatuen-

tuendo mandamus, quatenus intrà quatuor menses, à die publicationis præsentis Synodi numerandos, librum, siue Rollum, in Sacristia, vel in alio loco custodiendum, sub pœna priuationis offitij, alijsq. arbitrio nostro reseruatis, conficiendum fideliter curent; in quo eorum census, iura, actiones, & bona, emolumenta, legata, donationes, & fructus distinctè annotentur: Horum autem omnium prædictorum exemplum, publici Notarij manu signatum, & auctoritate munitum, in Archiuio magnæ nostræ curiæ Episcopalis volumus asseruari.

Cap. II.

INsuper ordinamus, vt liber conficiatur, isq. in nostro etiam Archiuio Episcopali asseruetur, in quo Benefitia Diœcęsis nostræ, cuiuscunque generis sint, eorumq. vacationis dies, ratio, ac modus: tùm collationes, ac prouisiones, vt vocant, vel à Summo Pontifice, vel à nobis, vel à quouis alio factæ, Bullarum item, & litterarum exemplum, fideliter describantur.

Cap. III.

CVm semel Deo dicatum, non sit in vsus humanos amplius transferēdum, Archipresbyteris, Parochis, Cappellanis, Thesaurarijs, Sacristis, cæterisq. Ecclesiarum Rectoribus, inhibemus, ne earum bona, supellectilia, & ornamenta in suos, aut laicorum vsus ad-

mittere, & commodare præsumant; si secus fiat, vltrà rei emendationem, si quod dispendium pati contigerit, viginti aureos nummos ad Sacristiæ paramenta persoluant.

De Litanijs recitandis.

IN nonnullis laicorum Confraternitatibus Diœcæsis nostræ, frequenter audimus, quòd Litaniæ quædam publicè decantantur, quę ineptas sanè sententias, periculosas, erroresq. sonantes, referunt indecēter: idcirco mandamus, vt eæ Litaniæ tantummodo recitentur, quæ in Breuiarijs, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus continentur, vel quæ à Congregatione sacrorum rituum fuerint approbatæ, sub pœnis vltrà peccatum, arbitrio nostro infligendis.

De non exponendis domibus ad ludendum.

DEtestabilem ludorum vsum, Diabolo fabricante, introductum, vt pecuniæ, rerumq. iactura, animarum quoque perniciem lucraretur, ex locis Diœcæsis nostræ exterminare volentes, confessarijs, etiam exemptis omnibus, ordinamus, ne ijs sacramentalem absolutionem impendant, qui domus ad ludēdum exponere non verentur.

De

De visitatione carceris facienda.

EOrum, qui in publica custodia detinẽtur, necessitatibus in Domino subuenire volentes, Vicarijs omnibus in Diœcæsi nostra mandamus, vt singulis mensibus per se, vel per Iudicem nostrum carcerem, etiam sæcularem, misericorditer visitare non prætermittant, & opportunis remedijs prouidere, ne in eum detrusi, malè à custodibus, vel alijs accipiantur, vtq. festis saltem, ac Dominicis diebus, Missę sacrificio intersint, aliquo ibi sacello ædificato, & omnes in Pascha confessi, sacram Eucharistiam piè, & salutariter sumant, quod vt die Natalis Domini, alijsq. solemnitatibus, ac in dictis publicè Iubilæis, & Indulgentijs faciant, eosdem cohortari non cessent; attendãt denique, ne vna sit mulierum, hominumq. custodia, super quo, & alijs supradictis eorũ conscientias oneramus, quos etiam, atque etiam obnixè rogamus, vt aliquam erigi charitatis societatem pro colligendis eleemosynis faciant, quæ, soluendis debitis pauperum carceratorum fideliter expendantur.

De Examinatoribus.

Sess. 24. cap. 18. SAcri Concilij Tridentini iussa exequentes, examinatores plena Synodo Mazariẽsi, eligere duximus opportunum, quorum tribus, adue-

ueniente cuiuslibet Ecclesię vacatione, examen ad eius regimen concurrentium, nobiscum perficere pollicemur. sunt autem hi, videlicet.

Reuer. Vicarius Generalis.

Don Blasius Russus, & Protus, cantor, & V. I. D.

Don Franciscus Elia, Archidiaconus, & Licentiatus.

Don Alonsus Maderus Gascus, Canonicus.

Don Petrus Lampaus, Canonicus.

Don Sebastianus Maronus, Canonicus.

Don Vincentius Burgius, Canonicus, & V. I. D.

Don Thomas Cusa, S. T. D.

Don Iacobus la Russa, V. I. D.

Don Vitus Durus, Pænitentiarius.

Don Ioannes Antonius la Lamia, Archipresbyter Marsaliæ. S. T. D.

Don Iacobus Martinus. S. T. D.

Don Ioseph Iuliana. V. I. D.

Don Antonius Cutronus. V. I. D.

Don Iacobus Milana. S. T. D.

Don Antoninus Rini, Archipresbyter Partanæ.

Pater Magister Ioseph la Napola, Ord. Sancti Francisci Conuen.

Pater Ioannes Maria de Castrouetrano, nunc Prouincialis Ord. Cappuc.

Pater Basilius de Panormo, Ord. Cappuc. nunc

Guar-

Guardiano Conuentus Cappuccinorum huius ciuitatis Mazariæ, necnon & omnes, qui eiusdem Conuentus pro tempore Guardiani deputabuntur.

Pater Magister Alphius Mattiolus, Ord. Carmelit.

Pater Magister Andreas Galletti, eiusdem Ord.

Exhortatio ad hos examinatores electos, & approbatos.

HOs autem omnes hortamur, vt quacunque affectione humana postposita, munus fideliter exequatur, caueantque, ne quidquàm prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post, accipiant, alioquin simoniæ vitium, tàm ipsi, quàm dantes, incurrant, à qua absolui non possint, nisi dimissis Benefitijs, quæ etiam anteà quomodocunque obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur, & de his omnibus non solùm coràm Deo, sed etiam nobis rationem reddere teneantur, vt si quid contrà offitium eos fecisse compertum fuerit, grauiter puniri possint.

De Fine Synodi, eiusq. obseruatione.

HAec, Fratres dilectissimi, quæ de diuinis offitijs, vel sacris ordinibus, aut etiam de nostris moribus, & necessitatibus Ecclesiasticis, in


hac Diœcesana Synodo, nostra percepistis, traditione, Virtute Sanctæ obedientiæ bonis studeatis operib' adimplere, & declaramus, ea post duos menses à die publicationis, & affixionis ad valuas nostræ Cathedralis Ecclesiæ, ità vim legis habere, vt qui in ipsa deliquerit, pœnis in ijsdem decretis afficiantur.

Hæc acta, & definita sunt in plena Synodo, in Ecclesia Cathedrali, in loco consueto, quo Synodus cogi solet; Die 4. Mensis Octobris, viij. Inditt. 1609.



INDEX TITVLORVM,
QVI IN HIS CONSTITVTIONIBVS
Synodalibus Continentur.

I N-



FINIS.



